



Universitätsbibliothek Paderborn

**Detectio Nvgarvm Lvtheri, Cvm Declaratione Veritatis
Catholicae, Et Confvtatione Dogmatvm Lvtheranorvm**

Bundere, Jan van den

Louanij, 1551

De alijs hac tempestate hæresiarchis ac eorum hæresibus. cap. xxxviij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35621

DE ALIIS HAC TEMPESTA.

attendere quid præceperit Dominus in Exodo, Maleficos nō patieris vivere . Et in deuteronomio. de prophetis qui somnijs seducūt homines, Auferes malum de medio tui. Dicit enim Innocentius Papa & recitatur dist. 83. ca. error Error cui non resistitur, approbatur . Et veritas cū minimè defensatur opprimitur . Negligere quippe cūm possis perturbare peruersos, nihil aliud est q̄ fouere. Neque caret scrupulo societatis occulte qui manifesto facinori desinit obuiare. Itē dist. 45. ca. Sed illud dicit Hieron. Quę enim est ista misericordia, quę ista bonitas, vni parcere & omnes in discrimē adducere ; Polluitur enim ex uno peccatore populus, sicut ex una oue morbida vniuersus grex inficitur . Itaque mali auferendi sunt ne alijs noceant. Et sicut Iudei aut Pagani ad fidem Christi non sunt compellendi, Ita qui fidem suscepérunt tenere cogātur dicit cōciliū Toletanum, ut habetur dist. 45. ca. de Iudeis.

De aliis hac tempestate hærestarchis, ac eorum hæresibus obortis. C A P. XXXVIII.

PHILOM. Gratias tibi ago præceptor candidissime quod tua diligentia descivierim à perfidia Lutheranorū. Subortane sunt & aliæ hæreses hac tempestate à quibus cauendum erit ?

ORTHODOXVS Utique. In primis occurrit

Exod. 22.

Deut. 13.

currit vir seditionissimus Iacobus Kautius,
qui inter cæteros articulos duos diuulgauit
Vvormacię pessimos, tertium & quartum.

3 Tertius hic erat. Baptismus paruulorū à
Deo prorsus non est, sed directè cōtra Deū &
cōtra Dei doctrinam, quæ nobis per Christū
Iesum filiū eius prolata est. 4. Quartus. In
cœna Domini neque est substantiale corpus
aut sanguis Christi. Neque usus illius hic vnu-
quam ritè est celebratus. Hos articulos vbi
Maguntię vidisset Cœleus, mox ædidit libel-
lum Theutonicum, ad senatum Vvormaci-
ensem, elidens omnia argumenta Kautij.

Euomuit errores aliquot prioribus multo
horribiliores Præmonstrateñ quidam mona-
chus Magdeburgi Degens.

- 1 Infernus non est.
- 2 Christus non descendit ad inferna.
- 3 Patriarchę & prophetę veteris legis non
fuerunt in inferno.
- 4 Christus dum diceret hæly hæly lama-
zabathani, dānatus fuit quia desperauit.
O blasphemias nō vno tantū fulmine dignas.
Afferebantur & ex Moravia errores his ni-
hilo inferiores.
- 1 Christus nō fuit verus De⁹ sed propheta.
- 2 Non est prædicandum Christi euange-
lium publicè in ecclesijs, sed solum pri-
uatim

DE ALIIS HAC TEMPESTA.

uatum in domibus.

- 3 Inter Christianos nullus debet esse principatus aut magistratus.
- 4 Christianis inter se omnia bona debent esse communia.

Dies extremi iudicij elapso biennio futurus est Anno salutis .1545. In Phrisia surrexit laicus quidam in oppido Emeda nomine David georgius ex Delphis oppido Hollandie natus, qui absurdissimos proposuit articulos.

Negavit resurrectionem carnis, extremum iudicium, Angelos, dæmones, Baptismum, Matrimonium, scripturas, Paulum, Vitam æternam in cœlo, affirmauit autem se tertium esse Dauid qui in regno Christi super terram regnare debeat, vxores voluit esse communes. Docuit non esse peccatum negare Christum coram hominibus. Non spiritum, sed solam carnem peccare: stultos fuisse Apostolos & Martyres, quod tormenta mortemque propter Christi cōfessionem passi sunt. Equè bene saluantur spiritus infidelium sicut fidelium: Et equè bene damnatur caro Apostolorum sicut infidelium. Cæsar ubi hæc accepit, gladio & igne in huiusmodi hæreticos animaduertit, & sectam extirpauit. Erupit & alia hæresis noua in plerisque Sueviæ oppidis. Cuius author Slesita est. Hic Manicheorum

HAERESIARCHIS AC EO. 103

orum dogma repullulare iussit , docens Christum non fuisse conceptum in utero virginis Mariæ ex natura & sanguine eiusdem, officio spiritus sancti, neque ex ea natum sed a liunde à Deo creatum hominem assumpsisse.

Michaël serueti Hispanus ab Aragonia nō uam docuit Theologiam . Nempe quod Christus tam iuxta carnem quam iuxta spiritum habeat substantiam æternam. Et quod in eadem substantia in qua tam iuxta carnem quam iuxta spiritum nunc est, fuerit antea in cœlo creator .

Michael Sellarius monachus apostata doctor & dux anabaptistarum Rotenburgi dixit .

- 1 In Sacramento non esse corpus & sanguinem Christi .
- 2 Non esse baptizandos pueros .
- 3 Non esse præstandum iuramentum superioribus .
- 4 Non esse resistendum Turcis .
- 5 Non esse inuocandos sanctos &cæ .

*Quid actum est pro tuitione fidei hac tempestate
oppugnatae. C A P . XXXIX.*

PHILOMATHES Tot hostibus ferociter emergentibus, domumque Israel haud impigre oppugnantibus, Nemo se murum posuit pro domo Dei? Nemo se

P præbu